

ESTICA
A. 5085

164.

869

12/168

plū, S. Reg. Majestati, Pelicanū humilimē offero: Eccle-
siarum Ministris, Columbam: Subditis, apiculam: Pa-
tribusfamilias, formicam: Liberis, Ciconiam: Mini-
stris, Gruem: Omnibus in Regijs Aeademijs, & Scho-
lis trivialibus desudantibus, ibiq; literis incumbenti-
bus, gallinam cum pullis glocitantem apprecabor: Sic,
alme Pater, memores erimus, nostri officij!

Cujus ut semper memores simus, libera nos, &
Domine Deus, ab omni malo, & transfer nos in vera
agnitione Christi Filij tui, ex hac valle lacrymarum,
in quietam & coelestem vitam, ubi lætam illam vocem
læti audiemus: Euge! Serve bone, quoniam in paucis
fidelis fuisti, super multa te constituam; intra in gau-
dium Domini tui,

D I X I.

Moribus & Doctrinā Ornatissimo
DN. PERORANTI.

*Qui, mi Petre, sacra decus immortale Cohortis,
Pectore non voveat prospera cuncta tibi?
Cuspiciam Felix Anni Novi adusq; precaris
Cunctis, quos mundi machina vasta capit,
Sic faustum & felix votum: sine omnia fausta
Eveniantq; tibi commoda larga, precor:
Et sua tranquillum veniant ad litora pontum
Carbasa; Tu videas prosperitate Tuos.*

Quod animitus precatur

Laurentius Olai Morenius,
Vermelandiæ Svecus.

Oratio

DE

DILIGENTIA
IN LITERARUM STU-
DIIS SECTANDA.

12

Quam

Veniā Venerandi Consistorij Strengnenfis
In Collegio ibidem Regio,


Præsentibus, Reverendissimo & Ex-
cellentissimo Dn. Episcopo: Reverendo & Cla-
rissimo Dn. Pastore: Reverendis item, Clarissimis & Doctissimis
Dn., Professoribus: Nec non, Nobilissimis & Orna-
tissimis Adolescentibus:

*Ipsis Kalend. Maij, Anni currentis MDC XXXI.
publicè & ex memoria pronunciauit:*

PETRUS JONÆ KERNEBOENSIS
Salan. Mufar. Alumnus.

Hieronymus.

Semper aliquid facito, ut te Diabolus
inveniat occupatum.



Stockholmæ

Excudebat Chr. Reusnerus Senior. Anno 1631.

Reverendi & Clarissimi Viris ac Dominis,
M. NICOLAO IACOBI,
 Præposito & pastori Orebroënsium vigilantissimo
 nec non in Nericia Inspectori seniori dignissimo.
Dn. ANDREÆ BERG, CAN-
THERO, Pastori in Nådhelösa, fidelissimo.

NEC NON

Venerabilibus Humanissimis & Doctissimis Viris,

Dn. Laurentio, præposito & pastori in Näsersmady /	}	fidelissimo
Dn. Olao Petri, pastori in Wijby /		
Dn. Arvido Nicolai, pastori in Lennäs /		
Dn. Laurentio, pastori in edyberg /		
Dn. Iona, pastori in Gårdhult /		
Dn. Andreæ, pastori in Skyllerstadh /		

Dnn. Macenatibus, Fautoribus ac Promotoribus
 suis magnis,

SALUTEM

Salutem per Jesum Christum sempiternam

Exercitia honesta nulla ætas non approbavit, imò laudibus maclavit. Quamobrem D. Hieronymus illum haud facile capi dixit, honesto qui vacat Exercitio. Sapè enim ad malum patrandum alliciuntur, qui otiosam ducunt vitam. **OTIA CERTE DANT VITIA.** Quod Exemplis plurimis scripta Sacra & Prophana verissimum esse docent. Sunt autem illæ Exercitationes duorum generum; quorum ambo magni asstantur. Præsertim propter requisita eadem nobis commendantia. Deus cui summa in Mundo potestas, illam hominibus præcepit: præceptum omnes seculi corde amaverunt, & sua posteritati vicissim remandarunt. Facile cernentes ea commoda, quibus beari sæpenumero solent laboris amantes: Sic benedictionem Animi, Corporisq; nobis comparamus. De hac igitur Virtute, in Collegio Strengnensi Regio breviter dixi; Cum autem in more positum sit, sua Exercitia quamvis sint tenuia, viris cordatis inscribere, offerre, dicere; Ex more & Ego id exequi volui. Deliberanti autem mihi de Autoribus, quibus hoc exercitium chartaceum committerem, obviam mihi venerunt R. R. V. V. & H. H. quos Musas non solum amare, verum etiam earum cultores sèvere auribus captavi. Vobis proinde ò Studiorum meorum Promotores hanc Oratiunculã inscribo, offero, dico: Ea spe & fiducia, ut solito cãdore eam legatis, lectã dexteriore in partem enodetis. Ubi Tempus majora dederit, majora dabo. Adhac reperiar quamdiu corporis compagibus inclusus fuero, gratissimus. In Christo Valet. Dabam Stockholm. XV. Kalend. Septemb. Anno Domini, M DC XXXI.

R. R. V. V. & H. H.
 Officiose colens,
Petrus Iona Kerneboënsis,



ORATIO,
DE DILIGENTIA
IN STUDIIS LITERA-
RUM ADHIBENDA.

Nullus dubito, Admodum Reverende
& Præclarissime Dn. Doctor, Dioceseos
hujus Antistes & Episcopo longè
dignissime, in Christo Pater, atq; Stu-
diorum meorum fautor ac Mecenas,
omni observantiæ genere æternùm colendissime.
Vos item Reverendi, Excellentissimi & Clarissimi
Dn. Professores, Præceptores & Promotores multis
nominibus perpetim honorandi; Vos, Generosi, an-
tiquâ profapiâ, Virtute, Doctrinâ, & politiorum mo-
rum encomio exornatissimi, præstantissimi Dn. A-
dolescentes, fautores benigni: ut & vos, Humanis-
simi & Doctissimi viri, amici singularitèr colendi;
Tuq; pubes in Regio hoc Collegio, Studiorum gra-
tia hic degens, doctissima, ornatissima: *Nullus inquam
dubito, quin omnes benè, rectèq; cordati, amantissima virtutis
rosaria ingredi, eaq; perlustrare animitus exoptent. Præser-
tim si infinita illa, quæ ejus Studiosis obtingere solent sæpenu-
mero commoda, animo diligentius volverint, & aequiori truti-
nâ pensitârint. Verum enimverò, ut rerum quotidiano usu
instructi scimus: Non dari ad Musas latâ viâ currere, Ovid. 4. de
nec cuivis contingere, adire corinthum. Proinde me- Trist.
dium,*

A

diū, cui ad mi-
niculo ad eam

vestigandum. Illud autem est ipsa **DILIGENTIA**, & in
studijs labor indefessus, quem divina Majestas, homini primū
formato praecepit, quemq; Sapientes serio & unice nobis com-
mendarunt: Cum & illi hujus organi beneficio, pulcherrima
ejus vireta, & campos sunt ingressi. Vnde quæso Aristoteli tan-
ta Sapientia? nonne per Diligentiam? unde Socrati? unde
Demostheni? unde Ciceroni? unde & reliquis? Nonne per as-
siduitatem summam? Et certè non abs re (ut nihil Deus fru-
stra facit) est assiduum studium nobis à Creatore injunctum,
cum tot comitentur illud commoda: Diligentia quippè, re-
rum omnium scientia & Doctrina comparatur. Diligentia,
ad honores homo elevatur. Diligentia itidem plurima ma-
la, quæ otiosos aliàs adoriri solent, vitantur. Hæc omnia & ego
ponderans, non potui quin pauca de Diligentia, præsertim
aatem in Studijs Literarum, dicerem: Quod venià Reve-
rendissimi Antistitis, & Clarissimorum Dnn. Professorum, hæc
hor à exequi, animum induxi meum. Licet enim cum ingenij
mei lacinias excutio, probè intelligam, me ad declamandum
non ita esse excultum, ut hunc locum conscendere merear; At-
tamen cum hoc exercitium libero homine nō sit indignum, ea
quæ habeo animi sensu, quanquam rosis Tullianis non sint asper-
sa & ornata, confidentè in apertum affero. A vobis proinde,
qui auscultationis causâ adesse dignati estis, precibus ut par est,
obnixè contendo, ut hanc meam Orationem benignâ & atten-
tâ aurâ sublevare, inq; dexterio rem partem interpretari veli-
tis. Omnem in hoc movebo lapidem, ut cuilibet juxta condi-
tionem & statum gratissimus reperiar. Tu **DEUS** Opt.
Max. Mentem & linguam sic dirige, ut omnia cedant
tibi in gloriam & laudem; Nobis ad sectandam in-
Musis sedulitatem, incitamentum. Pulcherrimum hoc
mundi theatrum, quod Numen caeleste, à nobis in perpetuas
ater-

eternitates pie venerandum, & in
sente materiâ adificavit, adesse arbitror neminem, qui non ad-
miretur. Cernimus quippè, & certè non sine summa admira-
tione cernimus, cælum stellis lucidissimis, tempora & annos fa-
cientibus atq; designantibus, ornatum & illustratum. Vide-
mus terram fertilissimam, Arborea, herbas fructiferas, & id ge-
nus alia ubertim procreare: Ad hæc & aquas piscibus variarum
specierum abundantissimas natari, intuemur. Quæ omnia quan-
tacunq; sunt, quæ sanè maxima sunt, licet æternus & sanctissi-
mus ille Deus, propter seipsum, (Nam Coeli enarrant glo-
riam Dei, & opera manuum ejus annunciant firma-
mentum) præcipuè condiderit: Attamen Homini quoq; gra-
tiâ, quem die sexto, præmissis consilio, ex gleba terra formavit,
cuiq; spiraculum vitæ inspiravit, creata esse, nos plus satis docet
Sacra pagina. Ecce, faciamus inquit, Hominem ad ima-
ginem nostram, qui piscibus maris, volatilibus cœli,
toti terræ, & universis animantibus quæ moventur
super eam, dominetur. Verum A. L. animum advertite,
& pro certo obtinete, quod eo neutiquam sine tantarum rerum
homini oblata sit copia ac concessa potestas, ut otio turpissimo
diffueret, & ut bruta pecora ventri & abdomini inserviret,
sed in laboribus sese indies exerceret. Hunc enim in modum
Moses: Et Jehova non pluerat super terram, nec quis-
quam erat, qui coleret eam; Plantavitq; hortum in
Eden, ab oriente, & posuit ibi hominem eum ut cole-
ret, custodiretq;. Quod satis ostendit, laborem esse homini
tanquam necessarium quoddam vitæ adjumentum suscipien-
dum, desidiam verò ut mentis decipulam angue & cane pejus
& nocentius, fugiendam. O igitur laborem & Diligentiam
nunc licet molestam, propter mandatum tamen divinum ju-
cundam! O laborem tenacitè servandum. Audivimus quo fi-
ne Deus hominem in pomario mirè plantato collocavit, nempe
ut il-

piè vera veranda
loci fieri (paris)
nulla præcipien-
te

Psal. 19: 1.

Gen. 1: 26.

Gen. 2: 5.

8. 15.

ut illud diligenter
cum observant
in q. eo animam in
de reficere

pueretur. Verum ne desint plura ex Divinis oraculis petita te-
simonia, qua meum argumentum stabilire & fulcire, nosq; ad
labores accendere atq; instigare possint, Oculos in statum desti-
tutum, seu ut ajunt Peccati, quaso flectite. Novistis probe, cum
protoplasti nostri, mellitis Sathanae verbis seducti, inq; ejus re-
tia, fraudulentè pertracti miserè à creatore suo & capite Deo
Gen. 3: 19. defecissent, hanc auditam esse vocem: In sudore vultus tui,
comedes panem tuum, omnibus diebus vitæ tuæ. Quæ
vox, quodq; mandatum in nos primorum nostrorum parentum
filios, omninò cadit: Fruimur enim iisdem cum illis Dei bene-
Rom. 15: 4. ficijs; Et quæcunq; scripta sunt, inquit Apostolus, in no-
stram Doctrinam scripta sunt. Hoc autem in Scripturis
Ps. 128: 2. passim notatum est; Laborem manuum tuarum comedes.
Eph. 4: 28. Et alibi: Qui ad hoc usq; tempus furatus est, ne am-
plius furetur: sed manibus suis operetur quod bonum
est, ut habeat quid, quod cum egenis communicet.
2. Theff. 3: 11. 12. Et idem: Audimus enim quosdam versantes inter vos
inordinatè, nihil operis facientes, sed curiosè agen-
tes: Iis autem qui istiusmodi sunt denunciamus, &
eos obsecramus per Dominum nostrum Iesum Chri-
stum, ut quietè operantes suo pane vescantur. Quis
igitur tam vecors, ut laborem quem Pater cælestis nobis impo-
suit, malum esse pronunciet? quis illum amore summo non pro-
sequatur? Hæc igitur nobis calcar addant, o commilitones
svavissimi, ut illud quod velim tangam & feriam, qui in Mu-
sarum palestris propter bonarum disciplinarum mercatum
acquirendum degimus, ut omni contentione laboremus, hoc
est, in literarum studijs summo cum Deo susceptis, Diligen-
tiam summam adhibeamus; scientes nos ad laborandum, ut a-
vis ad volandum esse creatos, ut testatur Iobus. Scientes de-
mum hoc esse nostram vocationem, nostrumq; officium ut labo-
ribus nos excerceamus. O igitur laborem svavissimum! o Di-
ligen-

gentiam ad
detrectabit Hæc Deum habet autorem, cui, quis non obediat?
qui infinitis beneficijs nos planè immeritos affecit, cumulavit,
ornavit, & hodiernodie afficit, cumulat, ornat; quiq; est solus
potens, Rex Regum & Dominus Dominantium, continuò
nos, nostraq; facta inspiciens; Oculi namq; Domini altissi-
mi, millies sole lucidiores, qui intuentur omnes vias
hominum, & penetrant in partes occultas usq; cui,
antequam hæc crearentur nota erant omnia, similiter
postquam consumata sunt, pervidet omnia, gubernat omnia,
conservat omnia; qui deniq; rationem à nobis quomodo in offi-
cio nos gesserimus, suo tempore, ut justus Iudex exquiret. Huc
tandem accedit Magistratus noster, Severissimus, Clementissi-
mus, Potentissimus & Christianissimus, (quem Deus cum Illu-
strissima conjuge & R. S. Regina, incolumem & salvum in suo-
rum auxilium & defensionem, diu conservet,) qui ex Zelo pio,
& affectu illo regio, quem erga Deum, ejus mandatum, atq; hoc
Collegium gerit, nos qui sub vexillo doctarum musarum milita-
mus adhortatur, & nullo non tempore severissimè monet, ut la-
boribus nos tradamus assiduus, & otia diligentissimè declinemus,
facile cernens inde scaturientia incommoda; idq; partim per
Regia sua diplomata, qua Collegij hujus Professoribus, omni ob-
servantia genere à me perpetim colendis & reverentè suspi-
ciendis, mitti mandat; Partim per regia munificentia signa,
ut sunt salaria & studiorum stipendia, tam docentibus quam
discipulis prolixè concessa; quibus omnibus ad assiduitatem
excitare; partim per minas, quibus negligentes, (siq; officij
immemores, à sedissimo otio deterrere conatur. Quibus piissi-
mi Regis monitus, tanquam divinis locum relinquamus duco ne-
cessè: Considerantes hæc apud nos posita beneficia, qua certissi-
mè sunt magna, imò maxima: Et juxta pensitantes, Nudum
Magistratum esse, nisi à Deo, cujus etiam munia & vices in-
A 3 admi-

ligerentiam ad a-
mandam quam
nemò rectè senti-
ens fugit ac de-
tractabit
Syr. 23: 28

ad ministracione rei
pa. t. ubi commissa
obit.

igitur adhortationes o A. L. audiamus, auditis obtemperemus.
Hoc etenim nos decet, cogitantes illud Herodoti: Aequalia
mihi videntur & recte sapere, & utilia dicenti, parere.
Et obedientiam esse matrem felicitatis. Quod cum fece-
rimus, fiet ut labor noster non sit inanis in Domino, sed fructum
magnum ferat, ut prolixè pollicetur Johannes Evangelista.
Officio enim nostro, cum rectè & non perfunctoriè fungimur,
omnia nobis ut autor est Epicharmus, Bona vendet Deus;
Et;

Omnia conando docilis solertia vincit.

Quod firmat illud Matthæi, ubi Salvator severissimè monet, ut
Matth. 25: dona quibus nos affecit, inculta non linquamus, nec aggere ne-
14. & seqq. gligentia obrui & operiri sinamus. Quemadmodum enim
inquit, Homo quidam peregrè profecturus, vocavit
servos suos, eisque facultates suas tradidit, 15. & uni
quinq; talenta dedit, alteri duo, alteri unum, pro sua
cuiq; facultate, deindè continuò peregrè profectus
est, 16. Igitur qui quinq; talenta acceperat, ivit nego-
tium, & alia quinq; talenta peperit. 17. Similiter &
qui duo, lucratus est ipse quoq; altera duo. 18. Qui ve-
rò unum acceperat, ivit effossum terram, Dominiq;
sui pecuniam abdidit. 19. Multò post tempore, venit
servorum illorum Dominus, & cum eis rationes con-
fert, 20. Igitur qui quinq; talenta acceperat accessit, &
altera quinq; obtulit, dicens: Domine, tu mihi quin-
que talenta tradidisti, en, ego altera quinq; per ea lu-
cratus sum. 21. Et Dominus; Recte, inquit ei, serve
bone & fidelis, ego te qui in paucis fidelis fueris mul-
tis præficiam, ingredi in Domini tui voluptatem.
22. Item, qui duo talenta acceperat accessit, & Domi-
ne inquit, tu mihi duo talenta tradidisti, per quæ ego
altera

altera duo lucratus sum, 23. Igitur
ei) serve bone & fidelis, quoniam tu in paucis fidus
fui, ego te multis præficiam, ingredi in Domini
tui voluptatem. 24. Qui verò unum talentum accepe-
rat, accessit & ipse, & Domine inquit, Sciebam te ho-
minem esse severum, qui & metas ubi non seminasti,
& inde colligas, ubi nò impendisti, 25. id veritus ivi de-
fossum humi tuum talentum, en habes tuum. 26. At Do-
minus ei respondens, Nequam inquit & ignave ser-
ve, cum scires me & metere ubi non seminavi, & inde
colligere, unde non impendi, 27. debuisti meam pecu-
niam committere mensarijs, ita ego cum venissem,
meum cum fænore recepissem. 28. Quamobrem auferite
ei talentum, & ei date, qui habet talenta decem; 29. Nam,
omni habenti dabitur, ita ut abundet, ab eo verò qui
non habet, etiam quod habet auferetur. 30. Inutilè ve-
rò servum conijcite in imas tenebras, ubi sit ploratus,
stridorq; dentium. Ita & nobis variè Pater cælestis sua præ-
clara dona, Ingenium scil. & Memoriam benigna manu
contulit, qua inutilitè & sine fructu si collocaverimus, red-
denda est cum redierit ratio acuratissima, & sufferenda pæna,
scelere dignissima, h. e. Deus auferet id, quo sumus præditi, &
alij habenti, illud videlicet magis & majori gratiarum actione
colenti, largietur; restituet verò Ignorantiam, & in rebus
caliginem. Quod ne nobis eveniat, pondo nobis commissum,
& ex paterna clementia concessum, cum inutili servo non de-
fodiamus, sed potius ad voluntatem & nutum ejus usurpemus,
sic majoribus præficiemur, i. e. ampliora & præstantiora nan-
ciscemur, tandemq; cum servo fideli gaudium intrabimus, ubi,
mihi credite, fructum feremus amplissimum, beatissimum, ju-
cundissimum. Fructus autem Animi cum primis sese industrijs
offert; Rerum puta plurimarum Scientia & Cognitio, qua per
assidui-

duo licet cogit. (im.)
Et Dominus restit.
inquit. n.

assiduitatem, so-
mimum intellectus,

illatur & infunditur: ut enim vitij & infamia materia tor-
por est, fuscatur ingenia, scientiam minuit, memoriam extin-
quit, parit oblivionem; Ita scientia, virtutis & gloria ma-
teria est labor, quem qui rejicit, & virtutem & gloriam reji-
cit. Quam autem sit præclarum, quam jucundum, quamq[ue]
suave, rerum omnium, quæ in hac sunt Universitate, principia
& causas venari, ortus atq[ue] interitus inquirere, Anima natu-
ram indagare, sensuum rationes scrutari, animalium omnium
victum, figuram & Naturam rimari, stirpium varias & ad-
mirandas virtutes cognoscere, artificiosam corporum superio-
rum, cum inferioribus connexionem, consensum & harmo-
niam monstrare, luce meridianâ, clarius esse autumo. De quo
Socrates sciscitanti cuidam respondit, Unicum esse bonum,
Scientiam. Malum contra unicum, **Inscientiam.** Et
idem denuò interrogatus, quid in vita suavissimum esset, re-
spondit: **Doctrina & virtus, & rerum mirabilium &
ante incognitarum historia.** Quò luculenter ostendit
summam rerum scientijs inesse & inhabitare jucunditatem,
utilitatem & suavitatem. Quam deniq[ue] sit excellens, Do-
ctrinâ insigni esse imbutum & tinctum, plus satis ostendunt
exempla, quorum pleni sunt libri prophani. Unde Thales
interrogatus, quisnam in hac Mundi miseria, & vita arumno-
sa, esset felix & beatus, respondit: **Corpore qui est sanus,
& Animo eruditus.** Et Alexander, percontanti cui-
dam, utrum magis desideraret patrem Philippum, an Aristo-
telem magistrum, respondens ait: **Ille ut essem, hic autem
ut bene essem autor fuit.** Ex quo intelligimus, Do-
ctrinam & eruditionem esse præstantem, imò præstantissimam.
Quamobrem Diogenes, eam nobis fideliter commendavit, hoc
sermone: **Quod dixit eam juvenibus adferre sobrieta-
tem, senibus solacium, pauperibus divitias, divitibus
ornamen-**

Laert. lib. 3
c. 31,

ornamentum. Propterea quòd auctoritas
intemperantia, senectutis incommoda honesto solatio mitiget,
pauperibus sit pro viatico, divitum fortunas ornet. Et Aristo-
teles dicebat eruditionem in prosperis esse ornamen-
tum, in adversis refugium. **Studia res lætas con-
diunt, tristes leniunt, temerarios impetus juventæ co-
hibent, senectutis molestam tarditatem levant, domi,
foris, in publico, in privato, in solitudine, in fre-
quentia, in otio, in negotio comitantur, adsunt, imò
præsent, opitulantur, juvant.** O **Doctrinam** proinde
omnibus rebus pretiosorem, & possessione quavis pulchriorem!
quis te non amabit? tu non sinis esse feros, tu baculus vita es,
tu Domino tuo haud eripi potes; Verùm quærat quis, quomo-
do acquiratur? **Diligentiâ, responsum feras.** Hisce non si-
ne summa utilitate & animi bono sese adjungit, tranquilla &
quieta conscientia, quæ, quanti æstimatur, disertè & clarè no-
bis ostendit Ecclesiasticus in hæc verba prorumpens: **Vita
hominis suâ sorte contenti, & operarij, habet suavia
tatem.** Huic ad stipulari videtur Bias, à quodam interroga-
tus, quidnam in vita metu vacaret, recta respondens **Con-
scientia, quam qui possidet, libertatem possidet; ubi enim ab-
est metus, ibi certè libertas, quam Periander etiam vocat re-
ctam Conscientiam.** Vos proinde **Adolescentes, insu-
date labori, & exercete juventam;** Labor etenim mater
est **Scientiarum.** Labor itidem recta nos donat **Con-
scientiâ, quæ, quam sit jucunda, quam suavis, ostendit Na-
zianzenus: Nulla res, inquiens, nos tam magnopere
exhilarare potis est, quam bona Conscientia.** Et
quis est, qui bonâ non fruatur conscientiâ, cum se suo muneri
rectè præfuisse sciat? **Diligentiâ proinde quis spernat? ut
fidelem suorum laborum testem salvam conscientiam habeat,**
B
quis

quod etiam la-
ert. l. 5. ab inter-
c. 1. p. 11.

Ludo. Div.
in introd.
ad Sap.

Syr. 41: 18

esse, ex totis cordis visceribus non exoptet? Porro pede recto
huc pergunt bona corporis, qua nobis ad sectandam in studijs
Diligentiam non minus incitamento sint, quorum copiam non
exiguam, tam Sacra pagina, quam ipsissima experientia ostendit.
Sic enim Scriptura: Qui colit terram saturabitur pane, & anima sollicitorum impingvabitur. Nam in
omni labore est abundantia, inquit Ecclesiasticus. Mandavitq; sacra
Majestas in sua lege, ut operarius suo ornaretur
Deut. 23:4 pramio. Non morabitur opus mercenarij apud te, usq; manè. Et bovi trituranti non obliges os. Colamus proinde & Nos ò Adolescentes, nostram terram, h. e. faciamus sedulo nostrum officium, sic aliquando impinguabimur, h. e. fructum, qui licet aliquando tardet, quemadmodum enim semen, ignavum quidem apparet, & injucundum, at multum volupe est dum adolescit, dum floret: Ita tandem & labor, suum fructum, quem præter spem exhibet; feremus uberrimum, laboremus inquam, sic aliquando nostra gaudebimus mercede. Huc accedit corporis bonum, inferius & vilius neutiquam censendum, quod quis inter Principes, Optimates, Nobiles graves & magna eminentia viros collocatur. Et certè non immerito; Laudari enim à laudatis, laus est præstantissima. Verum undè? Nonne per assiduitatem in sibi concredita functione adhibitam? quis inficiabitur? Verum, Animo vestro Adolescentes obversari video, quod tanti honores virtute comparentur, Non eo inficias. Verum undè hæc? per Laborem dicetis, Verè, Nam:

Virtuti quondam sudorem Numina divum
Opposuerunt, viamq; gravem, longamq; dederunt.

Quamobrem etiam Isocrates ait celebritatem & splendorem nominis, non ex Otio, sed ex certaminibus oriri. Et Euripides:

Nemo

Nemo tibi laudem comparat
Nullus enim socors celebris vir est, ^{¶ Nemo tibi laudem comparat 14. No. l. p. 14. 15.}
Sed labores generositatem pariunt.

○ Diligentiam à nobis proinde, nullo non tempore suspiciendam! Illa certè est, quam tanti fecerunt veteres etiam maximi viri, ut eam velut auream catenam nitidissimo cælo demissam, amplecti atq; colere dignati sint. Illa est, per quam in clarissimorum virorum societatem adsciscimur: Studia enim sunt, qua nobilem & clarum reddunt, qua in eximio loco, honore & dignitate quasi suis manibus ponunt. Sic summo in honore apud Regem Alexandrum fuit Homerus, Nam Alexander per ipsa athera notissimus, cum ad eum scrinium delatum esset, quo inter Darij opes, nihil pretiosius repertum est, interrogavit amicos, in quem usum destinandum esset, alijs aliud suadentibus, dixit: Huic optimè servanda dabitur Ilias Homeri; quo ille ostendit, nullum thesaurum esse Homero præstantiorem. Sic deniq; apud Casarem Poëta ille excellentissimus Maro, cujus lucubrationes adhuc elegantissima & doctissima supersunt in dignitate fuit. Sic Cicero humili loco Agrar. 2.
natus, ut de se ipse fatetur, Consul factus est. Sic viros Doctrinà politos, ornavit Alcibiades. Sic quoq; magnis b. nefi ijs doctos affecit Imperator Sigismundus. Per Diligentiam hoc pacto quam plurimi virtutis fructum sunt adepti, quos præteriro tempus jubet. Ne autem ea, qua ante pedes sunt posita, transilire videar, operæ precium duco, vobis monstrare nostri seculi (omissis tamen exterarum nationum doctoribus insignibus;) in hoc inlyto Regno Svecico viros, qui per sudorem ac Laborem indefessum in Musarum officinis exantlatum, ad summa honoris fastigia pervenere. Vobis ante oculos ponite Aulam Regni Svecani florentissimã, & videte quot habeat viros eminentissimos: unde quæso ipsis tanta eminentia & autoritas? unde ipsis tot insignia? unde tot prædia? Vel, quis illos ad
B 2
guberna-

gubernacula re.
gna fuerit nostri

Regni usus nostri collocavit? nisi per Diligen-
tiam acquisita Virtus? Respicite praeclara facinora prisco-
rum dierum; & dispalescet veritas. Quare ambabus ulnis te
Diligentia amplectemur. Hac quippe omnia tu effecisti.
Tu Reges, tu Principes, tu Proceres, Barones, Nobiles, nec non
viros eminentissimos ornas; Tu facis ut beneficijs innumera-
bilibus cumulentur tui milites indefessi. Hoc pacto Sugismun-
dum Imperatorem incitasti, ut ipse liberales artes non solum co-
leret, amaret: Verum etiam viros eruditione pulchrâ tin-
ctos, licet obscuro genere natos, donis amplissimis afficeret. Cu-
jus rei gratiâ à Principibus Germania objurgabatur, quibus id
responsi reddidit: Quidni eos amore complectar infu-
cato, & beneficijs ornem, quos Natura cæteris ante-
cellere voluit? Sic Xenocrati Philosopho quinquaginta
talenta dono misit Alexander. Adhac si oculos in ordi-
nem Ecclesiasticum conjicimus, quis in eo viros magnos & ex-
cellentes non offendat, & propterea in summam rapiatur ad-
mirationem, quid dixi letitiam. Ne autem exemplis ser-
mo meus, quem brevissimum volo, plurimum intumescat, di-
cam paucioribus: Diligentia non solum causa est, ut Docti
penes Principes incredibili polleant autoritate, Verum etiam,
ignobiles reddit aliquando nobiles, claros & admirabiles. Tu
igitur industria medium optimum, per quod ad tantos evehi-
mur honores! tu utilis multum, tuq; jucunda! Tu senectu-
ti bonum condimentum, ut Xenophon conspicatus juvenem in-
dustrium, & laboris amantem, dixit: Jucundissimum se-
nectuti condis obsonium. Sic nobis cum officium no-
strum rectè, & ex præscripto Divino observamus, fructus con-
tingat optatissimus, amplissimus, uberrimus. Sic jucundus fuit
hic laboris fructus Aristippo, non solum tunc, cum miserè navi-
gasset, & in Syracusana littora ejectus esset, Verum etiam cum
interrogaretur, quid fructus ex Philosophia studio capisset,
quod

quod cum quibuslibet, inquit, libere loqui possim, non
enim metuebat potentes, nec fastidiebat humiles. Sic Dionysia
fructum attulerunt suavissimum studia literarum, quod appa-
ret ex responsione, cum Regno suo esset expulsus, cuidam qua-
renti datâ, quid sibi Plato & Philosophia studium profuerit:
Uc, inquit, tantam fortunæ mutationem facile ferre
possim. Unde Ovid, verè canit:

libere loqui possim
non enim

Quot frutices sylvæ, quot flavas Tybris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet:
Tot mala pertulimus, quorum medicina, quiesq;
Nulla, nisi in studio est, Pæridumq; mora.

Lib. 1.
Trist. 1.

Eamus ergo, ô Adolescentes, eamus cum ducat nos celsa magno-
rum exemplorum via; Et cogitemus juxta illud Tibulli:

At tu dum primi tibi floret temporis ætas
Uttere, non tardo labitur illa pede.

Sic fiet ut tandem nostrâ Diligentia speratam metere messem
queamus. Interim, Adolescentes suavissimi, prætendat quis,
quod ex tanta turba discentium, quorum multi & ingenio pol-
lent, & exercitio vigent, tam pauci inveniantur, quibus ad
solidam scientiam pervenire contingat? Sciendum est, Hugo lib. 1
Didasc.
quod in quolibet negotio duo sunt necessaria: Opus
videlicet, & ratio operis; quæ ita sibi annexa sunt,
ut alterum sine altero, aut inutile sit, aut minus effi-
cax. Verumtamen melior ut dicitur, Prudentia est
fortitudine, quia & aliquando, quæ viribus movere,
non possumus, arte levamus. Sic nimirum se res
habet in omni studio, qui sine ordine & discretionè,
operatur, laborat quidem, sed non perficit, & quasi
aërem verberans, vires in ventum fundit. Aspice
duos pariter sylvam transeuntes: Et hunc quidem
per devia laborantem, illum verò recti itineris com-
pendia

pendia sententia
pari motu

...pari motu eurlum intendunt, sed non æque perveniunt. Quid autem erudita scripta dixerim, nisi sylvam; Cujus sententias quasi fructus quosdam dulcissimos, legendo carpimus, tractando ruminamus. Qui ergo in tanta multitudine librorum discendi ac legendi ordinem non custodit, quasi in densitate saltus oberrans, tramitem recti itineris perdit; Et ut dicitur: Semper discentes, & nunquam ad scientiam pervenientes. Tantum enim valet ordo, ut sine ipso & omne otium turpe sit, & labor inutilis. Servetur proinde recta progrediendi via, & acquiretur Sapientia, ejusq; fructus uberrimus. Qua licet in limine difficulter comparentur. Nam res præclaras aggredi, paucis datum est. Et

Ovid. 4.

Ardua per præceptis gloria vadit iter.

Trist. 3.

Attamen non desinas in labore persistere, quia sublevatio laboris, est otium collaborantis, ut verè Gregorius, Et Horat.

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer, sudavit & alit,
Abstinuit Venere & vino.

Proinde Adolescentes jucundissimi:

Dum vires Animiq; sinunt, tolerate labores.

Certissime scientes quod:

— — — Nil sine magno

Vita labore dedit mortalibus.

Et quod:

— — — Labor omnia vincit

Virgilius.

Improbis & duris urgens in rebus egestas.

Ut enim stilla carvat assiduitate saxum, ut ferrum contrectatione atteritur: Ita assiduitas durissima vincit. Quo ostendit Plutarchus & admonet, nihil esse tam durum, quod non emolliat, nihil tam arduum, quod non efficiat assiduitas. Deinde si Otium ejusq; faditatem & infelicitatem, tanquam fructum ex ar-

ex arbore mala natum confectum
sana mentis, intra hosce angustissimos Collegij parietes extare, mihi certò certius persuadeo, qui Diligentiam non summoperè letus amplectatur. Otium enim obnubilat ingenia, scientiam minuit, memoriam extinguit, parit oblivionem. Otium deniq; malam, imò vermiculo miserius rodente, pejorem parit conscientiam. Quid enim queso magis mordere, magis vexare, magisq; terrere potest, quam summa Dei maledictio? Hac certè ignavis indicitur: Væ, scilicet eis, qui fraudulenter suum officium faciunt. Hanc proinde si aufugere animus est:

confidant veling
tum neminem

Jer. 48: 10

Otia perpetuò delitiosa cave.

Et cadit hac maledictio, non solum in Animam & bona animi, quod omnium miserrimum, verum etiam corpus, corporisq;. Ita quidem ut desides egestate premantur maximè. Quem admodum enim is, qui colit terram suam, saturabitur pane: Sic qui se statatur otiosos, premetur egestate. Egestatem enim parit remissa manus, strenua manus ditat. Æstate congerit filius industrius, in messe stertit filius pudibundus. Qui suam colit humum, saturabitur victu, sed qui ignavos imitatur excors est. Hoc etiam sciverunt gentes, quibus Evangelij lux non affulsit, unde Seneca dicit Otium matrem esse omnis mali. Demosthenes autem; Desidiam comitari egestatem. Quam evadere volentes, docet ut ejus familiaritatem diligentissime vitent. Sapiens otiosorum fortunam graphicè ob oculos ponit hunc in modum: Cum hominis ignavi fundum, cum dementis vineam præterirem, animadverti enatas ubiq; urticas, ejusq; solum ruscis obductum diruta ejus lapidea maceria, id quod ego contemplantus in animum demisi, eo viso, documentum cepi. Quod nos, ô Adolescentes, & ingenuarum artium cultores facere

Prov. 28: 19

Prov. 10: 4. 5.

Prov. 12: 11

Pro. 24: 31.
& seqq.

tere maxime de-
cot. ne istud no-
bras suas operi-
ant

lim ex improviso paupertatem, ut hospitem minimè expectatum, hospitio excipere cogamur. O igitur malum! O inquam pessimum! quod si quis declinare velit, quare laborem respuat? quis non potius de summo manè surgens, fuscis inprimis ad Trinitatem precibus, sese mox labori diligenti tradat, & spinas crescentes per Diligentiam in officio divinitus imposito eradice? Verum hâc tempestate Adolescentes, quod dolendum est, probos autem & sedulos hic exceptos volo, ita vivunt, ut potius à parte stent otij, inq̃ illo vitam traducere omnem, quam in exercitationibus toti malint. Hos etiam suis coloribus, ut rectè congruenter & competenter, ita verè & non immeritò depingit Salomon hoc pacto: Paulisper dormiendo, paulisper dormitando, paulisper manus ad quietem complicando, veniet tibi ambulans paupertas & egestas more hominis scutati. Et alibi dicit piger: Piger in via, Leo in vicis est; ut foris in cardine, sic piger in lecto suo vertitur. Abdit piger manum suam in sinu, eam ægrè ad os suum referens, septies sapientior sibi videtur piger, quàm qui scitè respondet. Nos autem, ô Adolescentes, qui Christiano nomine gaudere avemus, evigilemus, & nostram vocationem nobis in memoriam revocemus. Sic conscientia quæta, aurea rerum scientia, præstantissima Doctrina, vita jucunda, & bonorum omnium saturatio, nobis indubitato erit expectanda. Ab Otio autem nos abterreant & avocent, quæ secum ducit incommoda:

Casullus.

Otium & Reges simul & beatas
perdidit urbes,

Item:

Corrumpunt forti cellas cum pectore mentes
Otia plumoso desidiola throno.

Ex Otio proveniunt deniq̃ infensissimi nostri hostis Diaboli tentationes.

tationes, quibus oscitantes & ignavi sæpenumero opprimuntur, & ad malum faciendum, pro dolor, invitantur. Unde Menander: Homines nihil agendo, malè agere dixit. Et ut verissimè Basilius ait: Quod omnis occasio otij, occasio sit peccati. Otium dicitur pulvinar Diaboli. Et Ethnici dixerunt: Otia dant vitia. Quod tanquam certum comprobatur Syrach, dicens: Multa vitia docet otium. Servetur proinde paterna illa D. Hieronymi admonitio: Semper aliquid facito, ut te Diabolus inveniat occupatum. Esau, si honesto insudasset labori, primatus benedictionem non amisisset, amisit autem quia cibum accipere quam querere maluit. Eodem modo & formosissima Dina, si labore occupata fuisset, cum aliàs expansis & mirum in modum tortis comis, terram Cananaam, ejusq̃ situm lustraret, stupro à Sichem verè non infecta fuisset. Hujus autem mali formosus est ipsum Otium, unde Ovid.

Sept. numero op-
Trinitatis

Syr. 33:28

Genes. 28
33.

Genes. 34
1. 2.

Quam platanus rivis gaudet, quam populus uada,
Et quam limosa Cannæ palustris humo:
Tam Venus Otia amat. &c.

Libr. 1. de
Rem. A-
mor.

Item:

Quæritur Agistus quare sit factus adulter,
In promptu causa est desidiosus erat.

Ennius.

Et Diogenes otiosorum negotium amorem esse dicebat, quod hic affectus potissimum occupet otio deditos, Ita enim fit ut dum Otio vacant in rem negociosissimam incidant. Hoc autem si sustuleris, illud quoq̃ tolli necesse est:

Laert. lib.
6.

Otia si tollas perière Cupidinis arcus,
Contemptæq̃; jacent, & sine luce faces.

Ovidius.

Et alibi:

— — Finem qui quæris amoris
Cedit amor rebus, res age tutus eris.

Sic Otium fuit causa interitus Sodoma & Gomorrha, quod ostendit

C

erac 6
ostendit quod
49
97
erac

propheta Ezechiel; Ecce, hæc fuit iniquitas So-
domæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abun-
dantia, & Otium ipsius & filiarum ejus, & manum-
egno & pauperi non porrigebant, & elevati sunt, &
fecerunt abominationes coram me, & abstuli eas. Ex
Otio deniq; tanquam suo fonte manant & scaturiunt inaudita
illa furta, & ejus pena miserrima suspensio. Ex Otio profici-
scuntur calumnie, quibus ignavi & rerum alienarum magis
quam suarum satagentes aliorum famam & nostram Conscien-
tiam solent arrodere. Nos v. perpendamus, quod de omni verbo
otioso, quod locuti fuerint homines, reddituri sint rationem die
judicij (Otiosum a. verbum est quod aut utilitate recti-
tudinis, aut justæ necessitatis caret) Fieri a. hoc nequit,
nisi Otium seposuerimus. Quo factum est, ut Nomotheta Athe-
nienses, penas acerrimas contra istos desides & otiosos statuerint,
eosq; jure infames dixerint: Siquidem & Solon ipse in suis legi-
bus, inertiam hæc turpemq; ignaviã, severissimè culpavit: Qui
desidiam, inquit, sectatus est, is accusantib. esto obno-
xius. Draco autem hanc legem sancivit, ut Otiosi capitis sup-
plicio afficerentur. Et Babylonij eis escam justissimè denoga-
runt. Massilienses verò à se relegarunt & proscripserunt.
Amasis Illustrissimus Rex Egyptiorum quotannis rationem
victus & amictus à singulis subditis exegit, & ignavos fucos
deprehensos, ex urbe ejecit, fortè cogitans illud Platonis, assi-
milantis Otiosos, aculeatis fucis, quod in quacunq; fuerint civi-
tate, eam turbant, quemadmodum pituita & bilis corpus. Et
Patritius ignavos homines nuncupat venenum civitatis, nam
proni sunt ad libidinem, bonis invident, aliena appetunt, de-
niq; seditiosi & turbulenti evadunt. Habetis jam Adolescentes,
præclaros scilicet inertia, pigritia, atq; desidia fructus & utili-
tates. Te proinde Otium, cujus nulli sunt fructus, imò magis
dispendium, te inquam Otium, nihil deterius, nihil pejus, quis
te ut

Matth. 12:
36.

Gregor. in
hom.

Plu. in vit.
Solon.

lib. 8. de
Rep.

lib. 1. de in-
stit. Reip.

te ut Draconem pestilentissimum, & Cerberum
fugiat? cum te tanta sequantur incommoda. Tu ignorantiam
paris. Tu ingenia bona minuis. Ut enim ferrea fabrorum instru-
menta corroduntur rubigine, nisi excerceantur, deterioraq; fi-
unt: Sic Ingenia si Otio & desidia rubigine inficiantur, lan-
guescunt & ineptiora sunt omnibus administrationibus. Tu
deniq; tentationum Diabolicarum, scortationum, furtorum,
calumniarum, nugarum, imò vitiorum omnium scaturigo exi-
stis, Per te cum brutis & cadaveribus conferimur. Proinde
Adolescens:

Si tibi perpetua vigil est & cura salutis

Otia perpetuò delitiosa cave.

Inspicite quæso Elementa, quæ Otio non torpent, sed ex instinctu
Naturæ suo modo laborant; cernimus enim in illis motus &
vices fieri quamplurimas, quæ sanè laboris certissima signa
sunt, de quo Ovidius:

Quæ quanquam spatio distant, tamen omnia fiunt,
Ex ipsis & in ipsa cadunt, resolutaq; tellus,
In liquidas rarefcit aquas, tenuatur in auras,
Aëraq; humor abit, dempto quoq; pondere rursus,
In Superos aër tenuissimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idemq; retexitur ordo,
Ignis enim densum spissatus in aera transit,
Hinc in aquas, tellus glomerata cogitur unda.

Conjicite deniq; oculos in cælum, quo omnia integuntur. Non-
ne motu circulari sese volvit? Videte Solem & Lunam; non-
ne suum cursum hæc noctu ille interdum servant? Stellas tam
fixas quam errantes suis sphaeris adherentes circumvire: Ven-
tos quoq; suas regiones tenere videtis. Si lumina in omniura
rerum parentem & matrem terram imam dimittimus, quis il-
lam non pronunciat fertilissimam, fructuosissimam? Ani-
malia certe secundum speciem varia, illaq; quamplurima pro-
ducit; gemmas, pretiososq; lapides donat atq; largitur. Et si

C 2

contingat

Cerebrum infirma
lem no fugiat

contingat pan. 67.
67. no tempore str.
ri com et infaciantur.

liquis anni temporibus, majori rerum copia Otium hyemale
pensat. Vere enim:

— — — — — Omnia florent,
Et nova de gravido palmitē gemma tumet,
Et modo formatis operitur frondibus arbor,
Prodit & in summum feminis herba solum.

Et deniq̄:

Vere nitent terræ, vere remissus ager,
Tunc herbæ ruptâ tellure cacumina tollunt.
ut canit Ovid. Deinde quis vidit Æstatem aliquam, fructu
suo nos non beare? tunc enim in usum nostrorum pecorum
herbas demetimus, ut:

— — — — — Corpora pascant,
Et dulcem ducant vitam, prolemq̄; propagent.

Autumno autem:

Plenaq̄; purpureo subrubet uva mero.

Quis igitur non labore? cum sibi testimonia Diligentia, ab
hisce rebus inanimatis ratione omni carentibus proponi videat:
Elementa officio suo non desunt; Cælum non otatur; Sol oritur
& occidit: Luna accrescit & decrescit. Stella orbibus infixæ
circumferuntur. Venti spirant: Aqua suos pisces, in littore nu-
dos nõ destituit: Terra in hominũ & Animalium utilitatem, arbo-
res & herbas producit fructiferas: Ita ut nihil inter inanima-
ta reperiatur, quod nobis non sit exemplo & incitamento, ut
nostrum officium faciamus. Et si Animalia quæ super terra mo-
ventur, considerare velimus, quis queso de assiduitate & vigi-
lantia in concredito munere non moneatur? Reliquis omisis
vobis ante oculos ponite diligentissimam formicam, parciissi-
mam apem. Formica studia eleganter Horat. lib 1. Sat. 1.
describit:

Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit quodcunq̄; potest, atq̄; addit acervo,
Quem

Quem struit, haud ignara ac non incauta
Quæ simul inversum contristat aquarius annum, ^{incauta futuri}
Non usquam prorepat, & illis utitur ante
Quæ sitis patiens.

Et Virgilius 4. Georgic. de Apibus sic loquens ait:

Præterea Regem non sic Ægyptus & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Observant: rege incolumi, mens omnibus una est:
Amisso, rupere fidem constructaq̄; mella
Diripere ipsæ, & Crates solvere favorum,
Ille operum custos, illum admirantur & omnes
Circumstant fremitu denso, stipantq̄; frequentes:
Et sæpe attollunt humeris & corpora bello
Objectant, pulchramq̄; petunt per vulnera mortem:
His quidam signis, atq̄; hæc exempla secuti,
Esse apibus partem Divinæ mentis & haustus
Æthereos dixere.

Quamobrem etiam sacra pagina ut hæc duo Animalia ad ea-
mus jubet: Adi formicam piger. aspice ejus mores ut ^{Prov. 6:6.}
sapias, quæ cum Rectorem, Præfectum aut Dominum
non habeat, condit æstate victum suum, congerit in
messe alimentum. Aut apem adi, & disce quam o-
perosa sit, quamq̄; augustum opus excerceat, cujus la-
boribus Reges & privati vescuntur salubriter, eaq̄;
omnibus est & amabilis & illustris: Et quamvis vi-
ribus infirma sit, sic tamen sapientiæ studio promo-
vit. Quousq̄; piger cubabis? quando existo so-
mno surges? Paulisper dormiendo, paulisper dormi-
tando, paulisper manus ad quietem complicando,
veniet tibi more viatoris, aut hominis scutari, indi-
gentia & egestas. Sin autem impiger fueris, veniet
ut fons messis tua, egestas autem procul aufugiet ut
cursor. Pudeat proinde, & ter quaterq̄; pudeat illos, qui:

Sortiti ingenium, Divinorumq; capaces;

Atq; exercendis capiendisq; artibus apti.

Quiq; corpore non solum, verum etiam Ratione & intellectu ornavit Deus, alijsq; prae se voluit, si in demandata functione divinitus, Diligentia sectati non fuerint. Igitur:

Terent. Eumuch.

— — — Fac periculum in literis,

Fac in palestra, fac in musicis, quæ liberum

Scire æquum est Adolescentem, solertem dabo.

Sed forsitan longius vela do, nunc portum respiciam: Itaq; si hactenus Otiosam vitam traduxerimus, respiciamus, adq; meliorem frugem redeamus, ut vocationi nostræ ad quam nos trinus Deus vocavit, satisfacere possimus; Cum Deus non solum hoc à nobis poscat verum etiam labori tot commoda, è contra Otio tot infortunia adjunxerit. Tu igitur Diligentia sectanda, amplectenda, amanda: Gaudes quippe, autore cælesti, nosq; præmijs infinitis ornas, cumulas, beas.

Nunc reliquum est A. L. ut Deo cunctipotenti & Patri Salvatoris nostri J. C. ex imo cordis recessu sacrificium gratiarum offeram & exhibeam maximum quod verbum suum incorruptè in nostris Ecclesijs disseminari, Scholas & Academijs quæ verissima verbi Divini seminaria sunt, exadificari, restaurari, Doctores puros, qui cælestem illam Doctrinam spargant nobis dari curavit & dignatus sit. Eundemq; verè æternum, Sapientem & omniscium Deum, precibus devotis compello atq; sollicito, ut illud quod ex mera sua clementia, sine ullis nostris meritis largitus est Verbum, usq; ad finem mundi & consumationem seculi, eadem sinceritate nobis nostrisq; posteris annunciari & divulgari paternè faciat; ut cognitâ & perspectâ (: quantum quidem in hac vita nobis sufficit :) suâ Essentiâ & voluntate, ingentem peccati molem & miserias, in quas per Peccatum incidimus, agnoscamus, modum quo ab hisce molestijs, & malorum ponderibus liberemur sciamus, Deum quoq; rectè agnoscere, agnitum colere, ac juxta normam & regulam mandato-

RU 70

rum ejus, vitam nostram instituere, & conservare. quidq; post hanc vitam futurum, nobisq; expectandum sit, edoceamur. Porro ad infinitum Deum simplex confugio, ut serenissimum, invictissimum & augustissimum Principem ac Dominum, Dn. GUSTAVUM ADOLPHUM, Patrem Patriæ Gloriosissimum, Regem nostram clementissimum, & Collegij hujus nutritium, ab ijs omnibus, quæ vitam ejus pestem machinari, eiq; nocere conantur, custodiat, ut vitam quietam & tranquillam, cum Illustrissima Regni Sueciæ Regina, Domina nostra clementissima, in subditorum suorum defensionem tutelam & auxilium, ad seros annos salvus & incolumis vivere valeat. Fortifica ô Deus manum ejus, ut hostes qui Ecclesiam tuam, quam tamen filius tuus unigenitus JESUS CHRISTUS non auro & argento, sed sanguine suo precioso redemit, labefactare noctibus atq; diebus moliantur, debellet atq; profliget, victor in patriam redeat, ac tandem cum Conjuge Illustrissima & sobole celsissima in cælestem Aulam beatus migret. Postremò sacram ejus Majestatem humilimè rogo atq; obsecro, ut Scholas, Gymnasia & Academijs in suam gloriam & nostram salutem fundari, fundatas extrui, extructas sincero verbi lacte rigari, plantari & pullulari, ab insensissimorum hostium molitionibus & insultibus conservari, liberari, ac de inimicis ac persecutoribus triumphari, Doctoribus atq; discipulis abundare, sinat atq; permittat. Peculiaritè autem precibus meis obnixè contendo, ut COLLEGIUM, quod hisce annis in hac inclyta civitate Strengnensi restaurari voluisti, sub Angelorum præsentia & curæ alis protegatur ac defendatur: Ut Verbum tuum Sacrosanctum à decentibus ritè traditum, à discipulis in tuam laudem & nostrum emolumentum dicatur: Ut tandem vita saturi, Deum in Cælis lati & beati cernamus, Cui cum filio & Spiritu Sancto laus & honor in sempiterna secula.

D I X I.

Ad literatissimum Dn. PETRUM JONÆ Kerneboënsē,
amicum sincerè dilectum,

De DILIGENTIA in Studijs sectanda, Otioq;
vitando, elegantissimè differentem,

Προσφώνησος.

AD sacras Musas, Verbum est ut nobile Vatis,
Cursuro cuivis non via lata datur.

Abdita Pieridum quia sunt secreta sororum
Clarus & occultâ Phœbus in arce sedet.

Ad cuius vigilat labor improbus atria custos,
Gnavus ad hæc doctâ ducit in arte labor.

Hic jubet ad pingues insomnia nocte lucernas
Lumina divinis sæpè dedisse libris.

Hic docet, hic monstrat, doctas enodat hic artes,
Antea difficilem, dat facilemq; viam.

At qui desidiam sectatur, & Otia querit,

Quæ NATURA fugit, qua fugit ipse DEUS,

Huic iter ad celsas claudetur Apollinis arces,
Nec datur Aonidum noscere sacra Scholæ.

Sic te dicentem memorat Petre nostra cathedra,
Petre, cui Suada aut Tullius ora dedit.

Dicta probas factò, dum gnaviter ipse laboras
Intima Phœbea noscere sacra Scholæ.

Perge ita, macte animo, vita Otia, carpe laborem,
Ad sacra Pieridum sic via certa datur.

Amoris
Moris &
Honoris ergò

αὐτοῦ ἑδῖος deproperatum à

JOHANNEM M. Westhio, Colleg.
Reg. & Sch. Streng. p. t. Rect.

ALIUD.

ALIUD.

Amico ac Sympatriota suo charissimo.

QUI mores hominum spectat, perpendit & artes;

Artes ac mores is varias videat:

Hic lucri cupidus scindit puppe equoris undas,

Et vita perfert mille pericla sua.

Acritèr hic pugnat quotandem surgat in altum,

Intrepidusq; manens arma cape sit atrox.

Hic sectando feras sylvarum lustra pererrat,

Ventos ac imbres sustinet ille graves.

Hic proscindere arvet validis sua rura juvencis

Et messem sperans aestuat atq; riget.

Otium & hic turpe tempus consumere gaudet,

Cuiq; suum vitæ sic genus esse videt.

Omnibus at restat genus excellentius hisce

Gnaviter artes quod Pæonias didicit,

Hoc sermone facis docto, doctissime Petre,

Dum suades Pindî carpere flores oper.

Gratulor ergò tuis benè captis gratulor ausis

In cursu pergas, perge velut properas.

Post mala mercator lucrum, post prælia laudem

Miles, post messem frigus arator habet:

Sic vigili tandem multos post Petre dolores,

Ipsa tibi studia hæc præmia digna ferent,

Ut non peniteat tot te exantlasse labores,

Quodq; etiam faxit qui regit astra DEUS.

gratulabatur

OLAUS FOLCHOVIUS
Sudermannus.



AD EUN.

40

Ὡς περ ἅπας φιλικὸς κεχαρισμένα σφόδρα ἐργίζει,
 Καὶ περ τῶν πάνυ ποικίλα λαλεῖ, καὶ κείνα ἰπταίνει·
 Ὡς θεοῖσιν ἀρετῶν μεγαλήθως τραύματα μνάσται,
 Ναυβάτης τ' ἀνέμους, ὡς βατῆρ μὴλ' ἀπαρτῆμαί·
 Οὕτως περ τῆς ἀρετῆς φίλε ΠΕΤΡ' ἀγορεύεις,
 Ἦν ἐνὶ εὐσταθέσσι νέε κέσμε παραδείσῳ
 Παμμεδέων πᾶσι πρῶτον προσέταξε μέροφι,
 Εἰνά γε ποικίλα, ἐν σὲ ῥήματι ἰδευτείαζε,
 Μητὴρ ἀμυχανίην ἀργοῖς ἐν ἅπαντι προσάπτων,
 Προσληπαρώσι δ' ἀμειβόμενός τε φερέσσιον ὄλβον.
 Τῆσσι δ' ἄπασιν ὅπ' αἰθρῶσ' αἰετὸς ἀεθροῦσιν,
 Ἡλικίην ἔρατὴν ἐκ ὄψεω, οὐκ ἀκαθάρτησιν.
 Εἰδ' ἄρα παρῶν ἀποδείξεισ' αἰετὸν ῥήμασι πείθεισ,
 Εὐτυχίης ἀγαθῆς καὶ γνώσεισ' αὐτίκα λήψῃ.

Φιλίας καὶ εὐφημίας
 ἕνεκα

ἐξ ἐδ' Ἰρσάλια,

MAGNUS SVENONIS
 Mariaestadius.



13.

ORATIO
 De
A R T I U M
L I B E R A L I U M
 N A T U R A E T
 S T U D I O

Quam,
 Deo Duce atq; Auspice,
 In Regia Academia GUSTA-
 VIANA, qua Dorpari est, ad Em-
 beccam, Amplissimo in consessu, die 27. Janu-
 arij, Anno 1641. publice memoriterq;
 in Auditorio Majori pro concione
 enarrabat
 M. MARTINUS NICOLAI
 FAXELIUS Nerichia Svedus.

in Dr. ... 41.